



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



25
IN NOMINE JESU!
THEOLOGICÆ FACULTATIS
IN ACADEMIA WITTE-
BERGENSI

p.t. DECANUS,
JOHANNES

Deutschmann/

SS. THEOL. D. PROF. PUBLIC.

ET ALUMN. ELECT. EPHORUS,
BENEVOLOLECTORI

Salutem & omnem Benedictionem
P.

IN NOMINE JESU!



Annus Ecclesiasticum Novum, per DEI Gratiam, auspiciamus, & Adventus Domini solennia meditamus, dum Ecclesia Christianorum Adventus hujus salutaris beneficia publicis præconijs admiratur, & Academia Theologorum ejusdem mysteria devotis speculationibus contemplatur. Mysteriorum Adventus Compendium pulcherrimum Sanctissimus DEI Spiritus, per Electum omnium mysteriorum præconem, Apostolum Paulum, exhibet I. Tim. III. 16. Ὁμολογούμεως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις ἐκκηρῦχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Breve quidem, sed illustre satis Mysteriorum Adventus Summarium! Quicquid enim ab æterno de saluberrimis hisce mysterijs sapientia cælestis constituit, in universo scripturarum Codice per omnes V. & N. T. libros gratia divina patefecit, & in usum salutarem admiranda vel οικονομία, vel ἐνεργεία, peccatoribus destinavit, illud ἐπιτόμως, & ὡς ἐν συνόψει, Veritatis Spiritus in hoc Oraculo proponere voluit. Nihil in æternis Adventus decretis constitutum, nihil in externis divinæ veritatis pandectis expositum, nihil in internis nostræ salutis effectis unquam adhibitum, quod in Apostolico hoc Oraculo, tanquam in anigmate speculari, I. Cor. XIII. 12. non sit propositum. Cernimus hic Adventus Salutaris Præcognita; cernimus & salutaris Adventus Capita; cernimus denique salutaris Adventus Axiomata, vel Hypomnemata. O summam Mysteriorum divinarum eminentiam! O stupendam arcanorum Adventus sapientiam! O gratiosam beneficiorum Adventus abundantiam! In his Elephas natat, agnus peditat. Nil valet in his ratio, cujuscunque sit vel acuminis, vel cacuminis, hic Plato, divinus quamlibet, quiescere jubet: sola fide nobis opus est. Mirari, non rimari, sapientia vera est. Admiratur igitur summissa veneratione cuncta, paucis contemplamur singula. Procedat divina Messie Φανέρωσις, accedat Apostolica Φανερωσιολογία, vera fidelium omnium εὐδαίμονολογία. Si præcognita respicimus, pulcherrimum in Apostoli verbis introitum conspiciamus. Non vocabula nuda, sed verborum pondera deprehendimus: Ὁμολογούμεως μέγα, ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον,

σηπιον, orditur hanc *Adventus Maximam Paulus, Arcanorum divi-*
porum Secretarius. Gloriosum in his verbis apparet *exordium,*
 illustre *præcognitorum* comparet *speculum.* Inter *præcognita* com-
 muniter *Objectum, formalem considerandi modum, & propria, Dio-*
daedici notant atq; numerant. *Paulus* in his omnibus optimus *Di-*
daeticus, dum in hoc *Adventus Compendio,* nihil omittit eorum,
 quæ *Præcogniti* rationem induere possent, vel obtinere deberent.
Objectum hic non *vulgare, sed singulare, non humanum, sed divi-*
num, non tritum, atq; vulgo notum, sed abditum, & omnibus ab-
sconditum, ὑπὲρ πάντων, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν positum.
Objectum uno verbo dicitur, *Mysterium, idq; non absq; sed ma-*
gnâ cum ἐμφάσει, τὸ μυστήριον. *Mysterium* siquidem *Adventus,*
& Incarnationis est, *mysterium Φάσεως & ἐμφάσεως, mysterium*
& apparitionis & representationis, dum in carne Deus apparuit,
 & quæ per salutiferam *DEI* gratiam in voluntate divina, quoad
 omnem *Decretorum salutis οἰκονομίαν,* præsentata sunt, plena-
 ria *representatione* suum in *Adventu Domini* complementum acce-
 perunt. *Mysterium incarnationis,* certe non unum è *secundarijs*
mysterijs, sed inter *primaria mysteria salutis* omnibus alijs facile
 palmam dubiam reddit, & reliquis cunctis facem præfert. *Myste-*
rium salutis est non *κοινῶς cum alijs, sed ἐξοχικῶς præ alijs, idè τὸ*
μυστήριον *Paulo* salutatur. Est enim *fontis & origo Mysteriorum In-*
carnationis. *Christus* si nostri causa non venisset, nullum *salutis*
mysterium extiti sset: *In carnatio* caput reliquorum *mysteriorum,* à
 quo membrorum instar, omnia *mysteria salutis, totumq; Regnū igni-*
tie, promanant. *Mysterium Mysteriorum* est, & omnium *mysterio-*
rum *A & Ω, principium & finis.* Ab *incarnatione* λέγει cuncta
mysteria fluunt, ad *Incarnati gloriam & honorem* cuncta refluunt,
 ab *Incarnato Christo* nostra *salus* inchoatur, ad eundem *gloria*
salutis terminatur. Sic igitur totum *Oraculi præsentis Objectum,*
τὸ μυστήριον, verum & merum est Mysterium. Est autem hoc *My-*
sterium, non modo *caput celestis ἀληθείας, neq; solum arcanum*
adminanda, vereq; divine σοφίας, & angelica φιλοσοφίας, in quod
angelica potestates, & Virtutes, maximo cum prolubio semper in-
trospicere gestiunt *I. Pet. 1. 12.* sed etiam *Mysterium salutis οἰκονομι-*
ας. *Gentium Doctor Paulus* peculiarem *considerandi modum* hic
 attendere videtur, dum illud non *ratione DEI, nec ratione sui, sed*
ratione nostri contemplatur. Commendat enim nobis *Incarna-*
tionis dogma, non tanquam mysterium divine sublimitatis, cujus ra-

tionem sola *DEI sapientia* capit, atq; novit: *angelicus intellectus* hic
cœcutit, *humani intellectus* prorsus deficit: nec allegat *idem*, tan-
quam *secretum arcana subtilitatis*, quod omnem *humanae mentis*
conceptum, & ipsum *creatum intellectum*, infinitis intervallis tran-
scendit: sed laudat id ipsum, tanquam *Mysterium Christiana pie-*
tatis, & quidem ingenioso & ponderoso verborum apparatu, τὸ
ἡσέβειας προσήκον adducens. *Cor & anima Mysterij* hujus,
pietas constituitur. *Nucleus & fructus*, *pietas* dicitur. *Centrum*
inter articulum τὸ & Μυσήριον mediū, & prorsus immotū, *pietas* in-
troducitur. *Forma* tremendū *Incarnationis mysteriū formans &*
determinans, *Pietas* nominatur. Et quocunq; nostros oculos ver-
timus, ubiq; circū circa, & intus & extus, à priori & à posteriori, nihil
nisi *pietatis* argumenta deprehendimus. *Pietas divina motivum*
Incarnationis est, imò non *motivum* modò, sed & *principium*
Ejus suo jure vocatur. *Divina pietatis & gratia beneficium* est *My-*
sterium Incarnationis, siquidem in eo *gratia salutaris* nobis *homi-*
nibus apparuit Tit. II. II. In ipso *Incarnationis* admirando vel in-
gressu, vel progressu, vel egressu, stupendam *divina pietatis abyssum*
conspicimus. Nescit in his animus noster, quid primo, quid me-
dio, quid ultimo loco producere conveniat. *Immensa* certè *pie-*
tas æterni Patris, qui *Filiū* non *alienum*, sed *propriū Rom. II. X.*
32. non è multis unum, sed prorsus *unigenitum*, non *dissimilem*, sed
consubstantialem, ὁμοούσιον, ὁμοδυναμον, ὁμογενιον, & ὁμόθρονον
nobis peccatoribus *Rom. V. 8. ex mera dilectione Tob. III. 16. donavit.*
Immensa certe *pietas æterni Dei Filij*, qui, ceu *Patris sapientia sub-*
stantialis Prov. II. X. 1. medium incarnationis invenit ac edidit, ceu
Patris consiliarius Esa. IX. 6. consilium incarnationis in Consistorio
SS. *Trinitatis* protulit, artificium hoc tremendum, tanquam *Ar-*
chitectus & artifex admirandus *Prov. II. X. 30. extruxit*, & nostram
fragiem *carnem* sibi personaliter *unione* prorsus ineffabili con-
junxit. Sic qui *consilium* ex *immensa pietate* dedit, *auxilium* ex
immensa pietate tulit! *Incarnatio* tota, tota *Incarnatio* vita, o-
mnis *Incarnati energia*, mare quoddam *pietatis* immensum est!
Nobis etiam *mera pietatis motiva* suppeditat. *Incarnatio* non est
speculationis, sed *operationis officina*. *Pietatis operationes* maxi-
mas in *Deo*, jucundissimas in *Angelis* cernimus, nostræ proinde
gratitudinis & sedulitatis est, omnia *Incarnationis mysteria*, cuncta
Incarnati officia & beneficia, tanquam *incentiva pietatis*, adhibere.
Christus incarnatus pius erga nos fuit summo *salutis beneficio*: nos
etiam

etiã erga ipsum grati sumus debito pietatis officio, perpetuo pietatis
 studio. Nobis Incarnationis mysterium sit pietatis incitamentum, pie-
 tatis fundamentum, pietatis ornamentum & complementum! Ad-
 sunt etiam pulcherrima vel propria, vel encomia. Proprium divina
 certitudinis adducit Apostolus, dum inquit, ἴδι: certum hoc incar-
 nationis mysterium in æterno DEI consilio; seruum in typico Vete-
 ris Testam. praeludio; certum in actuali plenariæ N. T. consum-
 mationis exercitio. Jesus Christus idem est heri & hodie, idem & in
 secula Heb. XII. 8. Mox etiam proprium divina magnitudinis in-
 troducit, quod sit μέγα μυστήριον, magnum mysterium: vere siquã-
 dem omnibus respectibus magnum est, quos modo prolixius ex-
 ponere non liceat. Deniq; iungit proprium divine latitudinis, vel
 amplitudinis, quod ὁμολογούμενος, omnium confessione sit magnum
 mysterium. Fatentur hoc angeli, confitentur homines, neq; dif-
 fitentur Diaboli: profitentur hoc Judai, profitentur idem gentiles,
 profitentur in universũ omnes mortales. Hæc Apostolica sunt
 Incarnationis præcognita. Sed longe & majora, longè sublimiora
 Mysterij Incarnationis Capita. Paulus dicit: θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ
 Verba sono brevissima, sensu plenissima: Nemo certe cogitando
 facilè mysterij hujus æssitudinẽ, assequi, nec ejus amplitudinem
 fando persequi, vel ipsius plenitudinem explicando, consequi
 poterit. Accuratũ tamẽ in his verbis Compendiũ Incarnationis ob-
 servare licet, Principiũ & Subjectũ Incarnationis Deus λόγος est.
 Incarnationis artificiũ est mirabilis illa φανερωσις: Manifestatus
 Deus λόγος est in æternis DEI decretis. Manifestatus idem in pulchero-
 rimis Veteris Testamenti typis & praeludijs. Manifestatus deniq;
 tempore Novi Testamenti per veram conceptionem & nativitatem
 in carne. Sicut enim pueri communicaverunt carni & sanguini, sic
 ipse quoq; particeps ejusdem factus est Heb. II. 14. Quod autem se-
 mel assumpsit, nunquam deposuit, sed ad æternæ locietatis confor-
 tiũ sibi conjunxit. Singula Compendij hujus saluberrimi capita, pro-
 lixa suppeditarent commentaria, si nostri nunc esset instituti ple-
 nam Incarnationis Mysteriologiam conscribere. O quàm multa
 forent dicenda, longè plura cogitanda, sed omnium plurima sim-
 plici fide humiliter admiranda, vel adoranda! Verũm hæc modo
 sacro silentio transire necessum est. Nec illustris hujus Compendij
 Hypomnemata, seu Conjectaria, vel explicare, vel illustrare vacat.
 Hypomnemata certè non ociosa, sed preciosa, nullis gemmis com-
 paranda, nec auro, nec argento, vel alijs metallis æstimanda. Hy-
 pomenata



πονηματα vere sunt ἀξιώματα. Verùm axiomata non mundi, sed
caeli, non Creaturae, sed creatoris. Axiomata hæc vera sunt ἐν Φύσει
τα, vera salutis ἀποβλέσματα. Pulcherrimas hic offendimus
salutis officinas, & saluberrimas in ijs energias. Officina prima
sapientiae, quæ Spiritus Sancti dicitur, quia justificatus est Spiritu,
Spiritus ipse DEI factus est Magister veritatis & omnis revelationis,
Magister luminis & omnis cognitionis, Magister prædicationis & o
mnis operationis. Officina secunda gratiae, quæ multiplicis Minis
terij videtur. Visus est Christus incarnatus Angelis, qui ministri,
nuncij, Testes, & præcones Mysterij facti sunt. Prædicatus est gene
tibus, dum Apostolos, Oecumenicos Evangelistas & Præcones, per
totum terrarum orbem ad Incarnationis publicationem ablega
vit. Creditus est in mundo per ordinarium Verbi & Sacramente
rum ministerium. Officina postrema gloria, siquidem Christus In
carnatus assumptus est in gloria. Quot hic verba legimus, tot sum
ma mysteria vera, plenaq; fide certamus, sed ea nunc studio
brevitatis exponere non possumus. Pluribus hoc augustum O
raculum, & omnem diuini, in eodem comprehensum, Myste
riorum circulum, jussu Veneranda Theologica Facultatis lectionibus,
quas vocant, cursorijs enodabit Vir Plurimum Reverendus, Præ
cellens & Clarissimus, DN. M. GEORGIUS WAGNERUS, Rade
berga Misnicus, Vocatus Pastor & Superintendens Zahnensis, SS.
Theol. Candidatus dignissimus, hæctenus Philosophica Facultatis Ad
junctus meritisimus, cujus gratia præsentem publicam scriptio
nem suscepimus. Natus Is est honestis Parentibus, Patre Admo
dum Reverendo & Doctissimo, DN. M. GEORGIO WAGNERO,
Pastore Walrodensi & Arnsdorfensi, Matre pudicissima, MAG.
DALENA, natalibus SPENGLERIA, Lipsiensi. Renatus in Chri
sto, semina veræ pietatis suscepit, & sub cura Parentum radices
ejus non vanas in prima pueritia posuit, atq; prima literarum ini
tia fecit. Mox Scholæ Radebergensi puer datus est, sed matura
nondum mors Parentis optimi circulos parvulo turbavit. Hinc à
suis Zittaviam Lusatorum missus, singulari DEI providentia Pa
trem alium, CHRISTOPHORUM STOLLUM, Amitæ suæ Maris
tum invenit, qui non in domicilium modò, sed in liberalem etiam
convictû ipsû recepit, nec ad scholâ publicâ nisi precibus publi
cis in Templo fuis, eû manuduxit, & Rectoris Clarissimi DN. M.
CHRISTIANI KEIMANNI Ephoriæ tradidit; nec in eo Viri pa
ternus affectus acquiescebat, sed Fidelissimum Præceptorum Pu
bli.

blicorum, CLARISSIMUM DN. ELIAM WEISIUM, in manu-
ctorem ejus privatum eligebat, Ipse vero domesticam pietatis cultu-
ram suscipiebat, & quotidianam lectionem Biblicam per integram
horam attentus cum suis auditor urgebat. In hac felici pietatis & e-
ruditionis cultura mox utriusq; specimina non vulgaria Noster pro-
didit: inde factum, ut, exacto triennio, Meritissimus Præceptor WEI-
SIUS, hunc discipulum suum expeteret, in filiorum suorum Padago-
gum & reliquorum Condiscipulorum, quos domi suæ non exiguo
numero tenebat, δαδῶρον eligeret, per integrum septennium liberaliter
aleret, & plurimis beneficijs, maximisq; meritis, eum totum obrue-
ret. Ab hoc Benefactore dimissus, in Academiam nostram Anno M.
DC. LII, venit, & jure Civitatis Academicae juxta leges acquisito, con-
tinua pietatis & sedulitatis specimina, quibus ad vetus erat, edere
contendit. Curam pietati primam dedit in visitandis templis, & conci-
onibus Theologorum, aliorumq; Pastorum annotandis: alteram se-
dulitati consecravit, in frequentandis lectionibus publicis & privatis,
ac inde sibi caelestem in studijs benedictionem, non augurio vano pro-
misit. Ex amore studij Theologici singulari cum Philosophiæ cultura
statim hoc jungere, & utriq; diligentiam eò majorem adhibere voluit.
Sedulus fuit auditor plerorumq; Philosophorū, in primis B. SPERLIN-
GH, B. FRANCKENBERGERI, B. WENDLERI, B. OSTERMANNI
Commentationes Philologicas in I. ad Timoth. excepit, EXCEL-
LENTISSIMI DN. TRENTSCHII scholas Logicas & alias adiit, &
Adjunctorum Facultatis hujus Collegia non neglexit. Tulit inde fru-
ctus laboris & honoris plurimos; illos publicè sæpius opponendo, re-
spondendo, præsidendo; hos primum Anno MDCLIV. Mens. Octob.
sub Decano Spectabili DN. CHRISTIANO BILEFELDO M. & Fac.
Phil. tum temporis Adjuncto, nunc SS. Theol. D. Past. & Superint.
Wernigerod. & Consist. Eccles. Adteff. (cum prius sub ejusdē præsidio,
non absq; laude, Disputationem Philosophicam, de *Unitate Metaph.* de-
fendisset,) Magisterij Gradum assumendo; postea consensu Facultatis
Amplissima jura & privilegia Lectorum Privatorum obtinendo, ca-
thedramq; publicam Præsidis officio conscendendo; deniq; locum
in Amplissimo Collegio inter Facultatis Adjunctos Clarissimos
occupando. Catalogum integrum Collegiorum privatorum &
Disputationum publicarum, quas tum ex Philosophia Theoretica,
tum practica, magno numero conscripsi & edidit, introducere
possemus, sed ista pagellarum angustia non capit. Integra Collegia
salcè & publica Scripta recitamus, Publicavit enim Collegiū Gno-
stologicum

stologicum VI. Noologicum XVI. Pneumaticum XII. Metaphysicum
V. Logicum IX. Disputationibus. Synopsis etiam Gnostologicam &
Noologicam in gratiam Studiosorum in lucem edidit. Sed quid dicemus de
studijs Theologicis? Nimis certe prolixum id foret, singula percurrere.
Uno verbo, quamdiu vixit apud nos, omnium Theologorum sedulus
Auditor in scholis publicis & privatis extitit. Testamur id omnes,
quotquot per DEI Gratiam adhuc vivimus. Non autem auscultan-
do tantum, sed & disputando nobis industriam suam probavit. Exemplo
raro, sub omnium Theologorum praesidio Disputationes publicas in-
stituit, binavice sub DN. D. CALOVIO contra Hugonem Grotium, semel
sub DN. D. MEISNERO de Catechesi Palatina, sub DN. D. QVEN-
STEDT de Regeneratione, Justif. & Renov. me Praeside De Schmalcal-
dicis Articulis, disputavit. Talibus fultus subsidijs, atque praesidijs, non ex-
iguam eruditionis Theologicae thesaurum sibi comparavit, & a Collegio
nostro jam Anno MDCLXVI. scholas in Theologia privatas aperiendi
potestatem impetravit. Hinc etiam in Alumnorum Electoralium Colle-
gio, sub moderamine Professorum Theologiae, sapientissime Praesidis of-
ficium per annos plurimos sustinuit, & praesidendo duas etiam Di-
sputationes eruditae conscripsit, & alteram ex Coloss. II. sub modera-
mine DN. D. QVENSTEDTS, alteram de Tribus Symbolis Oecu-
mendicis, sub mea directione publicavit. Denique vocatus a SERE-
NISSIMO SAXONIAE ELECTORE, DOMINO NOSTRO CLE-
MENTISSIMO, ad Pastorum & Superintendentis Zahnensis partes
expediendas, ex consilio Patronorum & Praeceptorum, ut & consen-
su Fratris unici, Admodum Reverendi & Doctissimi DN. M. ZA-
CHARIAE WAGNERI, Pastoris in Lorenzkirchen fidelissimi, cui se
multum debere, publice fatetur, Licentiam ad eundem summum in
Theologia Gradum, a Collegio Nostro Theologico modeste petiit.
Communibus iustis ad *ἀνοήματα* Candidatis concessa admissus,
Oratione praemissa Locum Classicum ex I. Tim. III. 16. Hor. II. po-
meridiana lectionibus cursoriis explicabit. MAGNIFICUM igitur
DN. RECTOREM, PATRES ACADEMIAE, Patronos, Fautores &
Cultores Studii Theologici, ad solemne laborum istorum exordium
Die Christiano H. IX. omni, quam decet, observantiam & affectum,
nomine Theologici Senatus, invito. Deus benedicat Academiae,
benedicat Facultati Theologicae, & felices, ex felicibus hujus Anni
Novi Ecclesiastici auspicijs, progressus in omnibus Nobis Universis
salutis largiatur! P. P. Dom. I. Adventus Anno. M. DC. LXV.

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







Farbkarte #13

B.I.G.

25

MINE JESU!

Æ FACULTATIS

MIA WITTE.

GENSI

ECANUS,

ANNES

hmann/

. P. PROF. PUBLIC.

ELECT. EPHORUS,

LOLECTORI

hem Benedictionem

P.

